



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Concilivm Londoniense, Quo VXIII. Canonibvs Constitvtis, iudicata est
causa Richardi Cantuariensis & Eboracensis archiepiscoporum, anno
MCLXXV. sub Alexandro papa III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

XIII.

Item de nouis libris excommunicatorum, & rebus morientium, quas auferunt sacerdotes, & benedictionibus sponfarum, & baptismo, & de quadraginta & octo libris, quæ pro absolutione excommunicatorum exiguntur, nihil perfectum est, quia episcopi Northmanniæ illud decretum recipere noluerunt.

Pergit Rogerus: *In eodem vero Concilio archiepiscopus Turonensis calumniatus est archiepiscopatum Doli debere adiacere archiepiscopatus suo, affirmans sedem archiepiscopalem ibi esse non debere. Sed clerici de Dolo constanter contradicebant.*

* CONCILIVM LONDONIENSE, Ann
C. 1171

QVO XVIII. CANONIBVS CONSTITVTIS, iudicata est causa Richardi Cantuariensis & Eboracensis archiepiscoporum, anno MCLXXV. sub Alexandro papa III.

NOTA.

* *Concilium.*] Rogerus acta Concilii, Canonesque in eo constitutos describens, ista refert: *Et venientes Londonias inuenerunt Richardum Cantuariensem archiepiscopum apud Westmonasterium celebraturum Concilium, die dominica ante ascensionem Domini. Ad quod Concilium venerunt fere omnes episcopi & abbates Cantuariensis diocesis. Et coram prænominatis regibus & episcopis & abbatibus, Richardus Cantuariensis archiepiscopus in eminentiori loco constitutus hac decreta subscripta promulgauit.*

CANONES CONCILII LONDONIENSIS.

I.

Ideo in ecclesia Dei secundum antiquam patrum consuetudinem Concilia congregantur, ut hi, qui constituti sunt in eminentiori cura pastorali, vitam subditorum de communi consilio regularibus institutis informet, & enormitates, quæ pullulant incessanter, consultiore censura compescant.

ANNO
CHRISTI
1175.

Nos itaque potius inhærentes orthodoxorum patrum regulis, quam aliquid de nouo statuentes, quædam certa capitula dignum duximus in medium promulganda; quæ vniuersis prouincialibus nostris firmiter & inuiolabiliter obseruanda iniungimus. Omnes enim sacrorum censemus Canonum transgressores, qui statutis huius sacrosanctæ Synodi præsumperint contraire.

I I.

Si quis sacerdos vel clericus in sacris ordinibus constitutus, ecclesiam vel ecclesiasticum beneficium habens, publice fornicariam habeat, & semel, secundo, & tertio commonitus fornicariam suam non dimiserit, & a se prorsus non expulerit, sed potius in immunditia sua duxerit persistendum, omni officio & beneficio ecclesiastico spoliatur. Si qui vero infra subdiaconatum constituti matrimonia contraxerint, ab vxoribus suis nisi de communi consensu ad religionem transire voluerint, & ibi in Dei seruitio iugiter permanere, nullatenus separentur, sed cum vxoribus viuentes ecclesiastica beneficia nullo modo percipiant. Qui autem in subdiaconatu vel supra ad matrimonia conuolauerint, mulieres etiam inuitas & renitentes relinquunt. Deceuiimus etiam eiusdem epistolæ auctoritate, ne filii sacerdotum in paternis ecclesiis amodo personæ instituantur, nec eas qualibet occasione media non intercedente persona obtineant.

Ex decretali epistola Alexandri pape III. ad Rogerum Vvigor-niensem episcopum.

I I I.

Clerici in sacris ordinibus constituti edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nec pu-

Ex Concilio Carthaginiensi.

Concil. Tom. 27.

Ddd ij

blicis potationibus interfint, nisi peregrinationis necessitate compulsi. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.

I V.

Ex Con-
cilio Toleta-
no.

His qui in sacris ordinibus constituti sunt iudicium sanguinis agitare non licet. Vnde prohibemus ne aut per se membrorum truncationes faciant, aut inferendas indicent. Quod si quis tale fecerit, concessi ordinis priuetur officio & loco. Inhibemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos habeat vicecomitatum, aut propositi sæcularis officium.

V.

Ex Con-
cilio Aga-
theni.

Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam inuiti tondeantur. Vestimentis etiam vel calceamentis, nisi quæ honestatem & religionem deceant, eos uti non liceat. Si quis autem contra hoc facere præsumperit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat.

V I.

Ex diuersis
decretis
Vrbani, In-
nocentii, &
Concilii
Calchedo-
nensis &
CARTHAGI-
NENSIS.

Quia quidam clerici desperantes ab episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel vitæ incontinentiam, vel natiuitatis conditionem, aut tituli defectum, aut ætatem minorem, extra prouinciam suam, interdum etiam a transmarinis episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur, ignota sigilla episcopis suis deferentes; statuimus talium ordinationem irritam esse habendam: sub interminatione anathematis inhibentes, ne a quoquam ad officii sui executionem suscipiantur. Episcopum quoque nostræ iurisdictionis, qui talem sciens & prudens ordinauerit vel susceperit, ab illius ordinis collatione,

ANNO
CHRISTI
1175.

ad quem eum ordinavit vel suscepit, vsque ad condignam satisfactionem se nouerit esse suspensum. Item: Cum ecclesia Dei, secundum euangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, & non spelunca latronum, & sanguinis forum; sæculares causas, in quibus de sanguinis effusione vel de pœna corporali agitur in ecclesiis vel in cœmeteriis agitari, sub interminatione anathematis. Absurdum enim est & crudele ibi sanguinis iudicium exerceri, vbi & reis constituta est tutela refugii.

VII.

Dicitur est solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari: similiter pro baptismo & communione. Hæc simoniacæ hæresis esse detestata est sancta Synodus, & anathematizauit. Statuimus ergo, vt de cetero nec pro ordinatione, nec pro chrismate, nec pro baptismo, nec pro extrema vnctione, nec pro sepultura, nec pro communione, nec pro dedicatione, quidquam exigatur: sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur. Si quis contra hoc facere præsumpserit, anathema sit.

Ex Concilio
Triburienfi.

VIII.

Nullus prælatus, in recipiendo monacho, vel canonico, vel sanctimoniali precium sumere, vel exigere ab his, qui ad conuersationem veniunt, aliqua pacti occasione præsumat. Si quis autem hoc fecerit, anathema sit.

Ex decreto
Vrbani pape.

IX.

Nulli liceat ecclesiam nomine dotalicij ad alium transferre, vel pro præsentatione alicuius per-

Decretum
nouum.

sonæ pecuniam, vel aliquod emolumentum pacto interueniente accipere. Quod si quis fecerit, & inde in iure vel confessus vel conuictus fuerit, ipsum, tam regia quam nostra freti auctoritate patrocínio eiusdem ecclesiæ in perpetuum priuari statuimus.

X.

Ex decretis
patrum.

Secundum instituta patrum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi vel clerici causa lucri negotientur: & ne monachi a clericis vel laicis firmas teneant, neque laici ecclesiastica beneficia ad firmas suscipiant.

XI.

Ex Conci-
lio Mel-
denfi.

Quicumque ex clero videntur esse, arma non fumant, nec armati incedant: sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus ex religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum Canonum contemptores, & ecclesiasticæ auctoritatis profanatores, proprii gradus amissione mulctentur: quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

XII.

Ex decreto
Alexandri
papæ III.
episcopi
Norvvic-
censis.

Illud etiam de vicariis, qui personis fide & sacramento obligati sunt, duximus statuendum, quod si fide vel sacramenti religione contempta personatum sibi falso assumentes contra personas se erexerunt, super hoc in iure vel confessi vel conuicti fuerint, de cetero in eodem episcopatu ad officii sui executionem non admittantur.

XIII.

Ex Conci-
lio Rotho-
magenfi.

Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de

ANNO
 CHRISTI
 1175.

fructibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia multi modo inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus, vt iuxta domini papæ præcepta admoneantur semel, secundo, & tertio, vt de grano, de vino, de fructibus arborum, de fetibus animalium, de lana, de agnis, de butyro, & caseo, de lino, & canabe, & de reliquis quæ annuatim renouantur, decimas integre persoluant: quod si commoniti non emendauerint, anathemati se nouerint subiacere.

X I V.

Item, calumniam & audaciam temere litigantium condemnando, in expensas & alio multiplici remedio imperialis sanctio compescat. Quoniam igitur hoc sacris institutis consonare dignoscitur, præcipimus vt de cetero in causis pecuniariis, quæ inter clericos agitabuntur, victus victori condemnetur in expensis. Qui autem soluendo non fuerit, eum in arbitrio episcopi sui puniendum relinquo.

X V.

Inuenimus tantum decem præfationes in sacro catalogo recipiendas: vnã in albis paschalibus: Et te quidem omni tempore. Secundum in die ascensionis: Qui post resurrectionem. Tertiam in pentecoste: Qui ascendens super omnes cælos. Quartam de natali: Quia per incarnati Verbi mysterium. Quintam de apparitione Domini: Quia cum Vnigenitus tuus. Sextam de apostolis: Et te Domine suppliciter exorare. Septimam de sancta Trinitate: Qui cum Vnigenito tuo. Octauam de

Ex decreto
 Pelagii pa-
 pæ.

cruce: Qui salutem humani generis. Nonam de
ieiunio quadragesimali tantummodo dicendam:
Qui corporali ieiunio. Decimam de beata Virgine:
Et te in veneratione beatæ Mariæ. Huius igitur
decreti & domini papæ Alexandri auctoritate di-
strictè præcipimus, ne quis præfatis præfationibus
aliquam omnino præsumat adiciere.

XVI.

Ex decreto
Iulii papæ.

Inhibemus ne quis quasi pro complemento
communione intinctam alicui eucharistiam tra-
dat. Nam intinctum panem aliis Christum præ-
buisse non legimus, excepto illo tantum discipu-
lo, quem intincta buccella magistri præditorem
ostenderit, non quæ sacramenti huius institutio-
nem signaret.

XVII.

Ex Conci-
lio Rhe-
mensi.

Præcipimus ne consecraretur eucharistia, ni-
si in calice aureo vel argenteo, & ne stanneum ca-
licem aliquis episcopus amodo benedicat interdi-
cimus.

XVIII.

Ex decreto
Hormisdæ
papæ.

Nullus fidelis cuiuscumque conditionis sit, oc-
culte nuptias faciat, sed benedictione accepta a sa-
cerdote publice nubat in Domino. Si quis ergo sa-
cerdos aliquos occulte coniunxisse inuentus fuerit,
triennio ab officio suspendatur.

XIX.

Ex decreto
Nicolai pa-
pæ.

Vbi non est consensus vtriusque, non est con-
iugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis,
nihil faciunt, nisi vterque puerorum, postquam ve-
nerint ad tempus discretionis, consentiat. Huius
ergo

ANNO
CHRISTI
1175.

ergo decreti auctoritate inhihemus, ne de cetero aliqui, quorum vterque vel alter, ad aetatem legibus constitutam, & Canonibus determinatam non peruenit, coniungantur: nisi forte aliquando, urgente necessitate interueniente, pro bono pacis coniunctio talis toleretur.

In quo etiam Concilio clerici Rogeri Eboracensis archiepiscopi calumniati fuerunt ius Eboracensis ecclesie de Cruce portanda in diocesi Cantuariensis ecclesie. Prater ea calumniati sunt ibidem ex parte Eboracensis archiepiscopi, episcopatum Lincolnensem, & episcopatum Cestrensem, & episcopatum Vigornensem, & episcopatum Herefordensem, de iure pertinere debere ad metropolitanam Eboracensium ecclesiam. Et super hoc predictum Cantuariensem archiepiscopum appellauerunt ad Romani pontificis presentiam. Prater ea appellauerunt ipsum Cantuariensem archiepiscopum ad Romanum pontificem super iniuria & anathematis sententia, quam intulit clericis Eboracensis archiepiscopi, qui per eum ministrauerunt in ecclesia sancti Oswaldi de Gloucestria, pro eo quod ad illum venire nolebant ad ipsius summonitionem sicut clerici diocesis sua fecerunt. In ipso autem Concilio clerici ecclesie sancti Asaf petierunt a Cantuariensi archiepiscopo, ut in vi obedientia preciperet Godefrido episcopo ecclesie sancti Asaf ad sedem ecclesie sua redire, cui presuit pontificali dignitate: vel, ut predictus archiepiscopus alium episcopum loco ipsius institueret. Ipse enim Godefridus episcopatum suum deseruit, paupertate & Valensium infestatione compulsus. Veniensque in Angliam a Christianissimo rege Henrico benigne & honorifice susceptus est: cui & tradidit abbatiam Abbendonia vacantem in custodia, donec ad propriam sedem liberum haberet regressum. Itaque presatus Cantuariensis archiepiscopus in ipso Concilio ad instantiam prenominatorum clericorum, & admonitione Alexandri summi pontificis, nec non & consilio venerabilium coepiscoporum suorum conuenit iam dictum Godefridum, ut in vi obedientia ad sedem propriam rediret, vel curam pastorem, qua sibi fuerat commissa, in manu ipsius libere & absolute resignaret. Ipse vero Godefridus, sperans quod abbatia de Abbendonia, qua tradita fuerat ei in custodia, posset sibi remanere, episcopatum suum nullo cogente resignauit in manu Cantuariensis archiepiscopi: libere & absolute tradens illi anulum & baculum pastorem.